

Nf 14



Q. D. B. V.  
DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM

S E X T A

DE

INDOLE AC VIRTUTE  
SACRIFICIORUM  
PIACULARI:

QVA

DOCTRINA EVANGELICA DE EXPIATIONE ET  
SATISFACTIONE CHRISTI TYPICA  
ADVERSUS STROPHAS ET CORRUPTELAS  
CL. PETRI POIRETI ET SOCINIANORUM  
UBERIUS VINDICATUR.

IN REGIA FRIDERICIANA

die Septembris hujus MDCCXIX anni

PRAESIDE

JOACHIMO LANGIO,

SS. THEOL. D. ET PROF. ORDIN.

Publica argumentorum oppositorum  
solutione defensa

sh.

A  
MAURITIO ERDMANNO Sach/

Martisburgensi, S.S. Theol. Cult.

HALAE SAXONUM,

Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.



DISSERTATIONEM ANTIQVARIAM  
ET SIMILIA ANTIQVARIAM  
S E N A

DE  
INDOLE AC VIRTUTE  
SACRIFICIORUM  
PIAGULARIUM

DOCTRINA EVANGELICA DE TYRANNONE ET  
SATRAPHIS QVIBUS TITVS  
ADRIANVS TITVS ET CORNELIVS  
CL. PETERVS DE TROSTENBERG  
AVGVSTVS

In Reg. FRIEDERICIANA  
PUBLICE

JOACHIMO LANGIO

MAURITIO VRDMANNO

MDCCCLXXII





## DISQVISITIO ET DISCUSSIO

LIBERIOR ANTITHESEOS POIRETIANAE, QVAE LEGITUR

*Oecon. Div. L. III. cap. XVI. §. XVII. seqq.*

*p. 811. seqq.*

### Loci Poiret. membrum I.



*Eterum dudum prospicio, fore qui hoc mihi objiciant: Qui sit, inquit, quod ceremonie omnes non proponantur consideranda tanquam umbrae merae realitate carentes, aut tanquam umbrae, quarum realitates demum ad futura sint, quando Messias aderit? His quidem jam satisfecimus. Sed pergunt. Quae causa est, inquit, cur victimae non dicuntur directo & ex institutione primitiva significare sacrificium Christi, quo is semet ipsum Deo victimam obtulit? Nonne in Epistola ad Hebraeos manifesto videmus, omnia Sacrificia Legis totidem fu-*

A 2

isse

DISCUSSIO UBERIOR

<sup>4</sup> *isse figuras sacrificii Christi, omnesque ceremonias typos quosdam fuisse, quorum realitas in ipso & quæri & inveniri debeat? Huic objectioni & caro, cæco quodam zelo abrepta, se adjunget; quæ cum parum sibi præsidii in eo videat, ut ipsa victima sit, alium certe in suum locum substitui mavult: adeoque non sine affectu clamitabit; Ita-ne Christo præcipua pars gloriæ & gratiæ suæ adimitur, & verba Pauli falsitatis arguuntur? Minime vero: sed ita carni certa mors præsignificatur, a qua quidem nulla ratione declinare possit, nisi velit ad inferos descendere, ibique causam suam agere. Sed age videamus potius, quenam veritas ipsa doceat, quam quæ ab obmurmurationibus carnis suggeruntur.*

Disquisitio hujus membri.

1. Quid sibi velit Auctor priore occupatione & responsione, obscurum est.
2. Posterior objectio est gravissimi momenti & cardo totius hujus disceptationis, quando sibi ipsi hanc proponit quæstionem: *Quæ causa est, cur victime non directo & ex institutione primitiva dicuntur significare sacrificium Christi, quo is semet ipsum Deo victimam obtulit?*
3. Neque ignoravit Auctor, hanc thesin, quam objectio continet, argumenta & præsidia sua præcipua, saltem longiore serie producta, habere in epistola ad Hebræos: quare in disputando sinceritatem præ se ferens, ipse allegat ista evangelicæ sententiæ firmamenta, sibi que ipsi ea opponit: *Nonne, inquit, in epistola ad Hebræos manifesto videmus, omnia sacrificia legis ro-*  
*ridem*

ANTITHESEOS POIRETIANÆ.

ridem fuisse figuras sacrificii Christi, omnesque ceremonias typos quosdam fuisse, quorum realitas in ipso & queri & inveniri debeat?

4. Hic centrum, hic cardo est, totius tractationis Poiretianæ. Hic enim causæ evangelicæ arcem invadit. Unde lectori cuius hic probe est attendendum, quomodo hic se gerat, & quomodo stet in sententiæ suæ propugnatione, & evangelicæ doctrinæ impugnatione ac dejectione.

5. Ex præscripto naturali legum bonæ disputationis Poiretus hic obstrictus erat, ut hæc, quæ sequuntur, præstaret:

a) Ut adductis rationibus negaret, victimas non directo & ex institutione primitiva significasse sacrificium Christi, quo is semet ipsum Deo victimam obtulerit; refutatis argumentis, quibus illud adstruitur.

b) Ut nova argumentorum serie demonstraret, in epistola ad Hebræos sacrificia legis nequaquam haberi pro figuris sacrificii Christi, nec ceremonias Leviticæ typos fuisse, quorum realitas in Christo & queri & inveniri debeat?

c) Ut thesi nostra sic destructa antithesin suam alio argumentorum agmine ex epistola ad Hebræos & ex re ipsa adstrueret, ad cujusvis lectoris convictionem usque. Atque ita ut secundum leges bonæ hermeneuticæ ex universa structura & *συμφερίᾳ* epistolæ ad Hebræos evinceret, nostram interpretationem esse falsam, suam autem veram.

6. Hæc officia fuisse Poireti, quilibet lector videt. Certe enim qui aggreditur doctrinam universali fere

christianorum omnium suffragio receptam, & ita comparatam, ut fatente ipso adversario institutionis primitivæ ac divinæ præsidio, nec non totius epistolæ ad Hebræos *Ἐπιστολὴς* cumulatissimo & validissimo testimonio nitatur; illum certe incedere oportet non nudum, sed a contrariæ sententiæ præfidiis, quibus simul nostræ fundamenta evertat, instructissimum. Sin minus, ne docti quidem viri & boni disputatoris, seu [si hæc vox displicuerit] scriptoris nomen tueri potest, tantum abest, ut quenquam a sententia sua, per ipsam quoque possessionem perpetuam confirmata, dimotum in suam illam & novitiam adducere queat.

7. Videamus nunc, quo modo se gerat Poretus in hac acie. Ita certe, ut me ejusdem valde misereat. Nam ex istis officii sui partibus ne unam quidem explet, immo ne unam quidem hic & in sequenti sermone suo vel extremo quasi digito attingit, tantum abest, ut omnibus, uti debebat, satisfaciat. Quæ sane hujus scriptoris nuditas & inanitas, tanta est, ut vix major & indignior esse possit.

8. Ne tamen ad tanti roboris objectionem plane siluisse videatur, imperitis varia objicit glaucomata.

a) Dicit, carnem se isti objectioni adjuncturam. Quid vero tum? num abusus tollit usum? Auctor vero est *ἀνομιὰν ἀπέχει*, quando hic doctrinam ipsam evangelicam ab abusu carnis distingvit, & nihilo tamen minus non solum hunc, sed & istam penitus explodit.

b) Quod doctrina de satisfactione vicaria carni nulum plane patrocinium, sed mortem potius, novo autem homini vitam & præsidium adferat, demonstratum est sub finem disputationis V. & integra



ANTITHESEOS POIRETIANAE. 7

integra Dissertatione I. Quæ confessio cum confessioni totius ecclesiæ evangelicæ omnino consentanea sit, Poiretus hanc impugnavit aut ex ignorantia, viro docto indignissima, aut e mala fide, Evangelicis sententiam affingendo, quæ ipsis nunquam in mentem venit, sed quam ipsi potius tanquam *βδελύγμα* detestantur; scilicet satisfactionem Christi ita comparatam esse, ut caro nostra detrectato *νεκρώσεως* officio in suum locum Christum substituere possit.

c) Vim objectionis justissimæ nullo modo frangit Poiretus, immo ne tangit quidem, sed reformatam præterit, eamque, cum ipsius Apostolicæ veritatis sit, carni perverse adscribit, adserens, hanc clamare: *Itane Christo præcipua pars gloriæ & gratiæ suæ adimitur, & verba Pauli falsitatis arguuntur!* Immotæ autem veritatis adfertur est, per negatam satisfactionem Christi eidem præcipuam partem gloriæ & gratiæ, si officium ejus respicias, adimi & verba Pauli falsitatis argui. Unde quo loco habenda sit antithesis Poireti, quis non videt?

d) In verbis: *sed ita carni certa mors præsignificatur* &c. vir doctissimus rursus prodit ignorationem eilenchi, aut fallaciam divisionis, seu antitheseos; qua res, quæ sibi arctissimo & plane necessario nexu subordinatæ sunt, sibi ita opponit, quasi una alteram tollat, scilicet nostri mortificationis Christi mortem piacularem & satisfactionem, & hæc illam.

e) Denique probatione antitheseos omni plane detrectata, quasi re bene gesta, quam indignissime hac

8  
 hac utitur præteritionis formula: *Age videamus potius, quenam veritas ipsa doceat, quam quæ ab obmurmurationibus carnis suggeruntur.* Sic veritatis præsidia, quibus eam Paulus in epistola ad Hebræos probe munitam & undique circumvallatam exhibet, ipsi sunt *obmurmurationes carnis*; ea vero corruptæ carnis & imaginationis principia, quæ magistræ suæ Burignoniæ debet, ipsi *ipsa sunt veritas.* In quibus inerustandis quomodo se gerat discipulus, ab ipso ad attentionem excitati nunc videbimus.

### Loci Poiret. membrum II.

*Quotquot animi candorem non omnino ejurarunt, ii ex omnibus, quæ hactenus diximus, facile agnoscent, Christum solum a nobis considerari Auctorem gratiarum omnium qualiumcunque, non maximarum tantum, sed etiam minimarum. Neque vero ea de re questio nunc movetur. Sed queritur, utrum Christus in gratiis suis applicandis non possit diverso tempore aliis atque aliis mediis ac modis uti, prout homines ipsi aliter atque aliter apti dispositique invenientur? Queritur, inquam, utrum Christus (per duas illas partes præcipuas ceremoniarum legalium jam significatus) hac quarta ita uti non poterit, ut principio per eam non se ipsum, sed alium, puta hominem peccatorem significaret; deinde vero, homine quod sui erat officii negligente, ipse figuræ significationem in se derivans, principaliter se ipsum per*

per eandem adumbraret, adeoque realitatem omnem horum typorum in se ipso impleret; eamque ex se & per virtutem suam in omnes, quotquot ipsi se conformabunt, diffunderet? Et hoc est quod affirmamus, ac præeunte Apostolo inculcamus. Sed age, apertius loquamur.

## Disquisitio hujus membri.

1. Auctor magna veri rectique specie utitur per universum systema suum, eaque imperitos lectores in transversum agit, sibi que facit obnoxios. Sic hoc loco admodum speciose ita pergit: *Quotquot animi candorem non omnino ejurarunt.* κ. τ. λ.

2. Ego quidem non dixerim, ipsum pro omni animi statu omnem animi candorem ejurasse; hunc tamen in referendis ecclesiæ nostræ doctrinis maxime desidero, cum nihil minus hic deprehendam. Utinam igitur Auctor secum habitasset ipse, suumque candoris defectum adeo exstantem ipse notasset!

3. Idem frustra provocat ad præcedentem hujus materiæ tractationem. In ea enim nihil esse solidi, quod veram convictionem afferre possit, hæctenus, nec minus Dissertationis V. sect. II. demonstratum est.

4. Non sufficit, Christum generatim habere pro auctore omnium gratiarum, sed ostendendus etiam est modus, quo auctor existat, scilicet *ἰλαστικός*: quem a Poireto negari, manifestum est.

5. Nec veritati apostolicæ consentaneum est, quod is de diversis applicationis modis tradit, quemadmodum jam videbimus.

6. A vero aliena fuerunt, quæ Auctor de duabus ceremoniarum legalium partibus cum applicatione ad Christum in medium attulit, uti Dissert. V. sect. II. evictum est.

7. Quartam ceremoniarum partem Auctor posuit in oblatione victimarum, de qua asserit, quod principio non Christum, sed hominem peccatorem significaverit. Id quod falsissimum est; quemadmodum ex universa illa demonstrationis serie, quam Dissertatio V. habet, abunde liquet. Incongruum etiam est, & ruinosa causa indicium præbet, quod Auctor falsissimam suam hypothesin non ad voluntatem & actum, sed ad potentiam & facultatem Christi referat: *Queritur*, inquit, *utrum Christus quarta ceremoniarum parte ita uti non potuerit, ut principio u. r. l.*

8. Πρώτον vero ψεύδος, quo ductus Auctor victimas primum excluso Christo ad homines refert, in eo est, quod omnem maculationem & oblationem victimarum, respectu nervi ac scopi sui mystici, ponit in mortificatione veteris hominis, & in abnegationis nostri ipsius. Unde existimat, hoc officium hominibus quidem ipsis principio statim incubuisse, cum vero ab ipsis præstitum non sit, Christum illud ita explevisse, ut nobis exemplum imitandum reliquerit. Atque ita omnia refert ad renovationem, exclusa satisfactione & justificatione forensi, etiamsi Christum subinde in ore habeat, ejusque officium & beneficium commendat.

9. Quantum & quam indignum non est ἕτερον πρότερον, sacrificia primum referre ad homines, deinde ad Christum? Quod vero nulla sit typorum realitas, quam Christum in se ipso implevisse prædicat, liquet e jam dictis & dicendis.

10. Et eadem est ratio diffusionis istius, quam virtuti Christi respectu istius realitatis, quam vocat, tribuit. Quemadmodum enim in officio & beneficio Christi nullum agnoscit meritum proprie sic dictum, ita etiam nullam concedit meriti applicationem, omnia ad sanctimoniam referens, & hoc ipso hanc corrupte tradens.

11. Audacissimum est adsertum, ista omnia ab Auctore nostro inculcari *preecunte Apostolo*. Ubinam enim vel unicum vestigium est hujus *ερεοδιδασκαλίας* in Paulo, speciatim in ejus epistola ad Hebræos? Quod si Poiretus clare Pauli oracula habuit pro se, cur ea non adduxit? Quam vero longe is abeat a Paulinæ doctrinæ hypotyposi, vidimus Dissert. V. & videbimus uberius Dissertat. VII. & VIII. nec non IX. X. & XI. Ceterum addit Auctor se *apertius*, utinam simul verius! *locuturum*. Quod quomodo se habeat, considerabimus.

### Loci Poiret. membrum III.

*Dubium non est, quin quarta hæc pars ceremoniarum Legis, ad quam victimas omnes referimus, que purificationem & rem aliquam purgandam ac Deo reconciliandam designant, directo ac proprie peccatorem significet, sive animam peccatis atque inclinationibus operibusque carnalibus ac corruptis gravatam. Id vel ipsius rei natura & institutio, ac omnia, que per eam designantur, sine alius probationis requisitione, satis aperte docent. Realitas horum inquam ac ratihabitio (saltem tum temporis)*

*ad peccatorem, qui ab iniquitatibus suis purificari volebat, referebantur: illa realitas in ipso peccatore inveniri debebat, qua sine & impurus, & impius, & inferni civis manebat omnino.*

Disquisitio hujus loci.

1. Auctor inter alia quidem etiam *reconciliandi* verbo utitur, sed sine sensu evangelico; siquidem veram reconciliationem negat.

2. Verum quidem est, victimas repræsentasse peccatorem, cum peccatoris loco offerrentur; sed non minus verum est, in victimis repræsentationem *hominis* tantum fuisse *vicariam*, relatam ad victimam illam unicam & omnium absolutissimam, quam aliquando *Messias* in se ipso & per se ipsum, hominum peccatorum omnium loco, esset oblaturus: quemadmodum liquet e Disputatione V. Prius quidem affirmat Poirretus, sed posterius negat, a cæco corruptæ rationis & Burignoniæ suæ magisterio, cui se totum manciperat, mirum in modum deceptus.

3. Nec prius adferit sine errore. Nam quia in peccatore, prætermisso reatu, solum tantum *damnum*, seu *inherentem labem & miseriam*, agnoscit, uti Dissertatione III. vidimus, negat, peccatoris alium in sacrificiis respectum fuisse, quam quem labis istius expurgatio requisiverit.

4. Et de hac sua falsissima hypothesi non dubitat hoc asserere: *Id vel ipse rei natura & institutio ac omnia, quæ per eam designantur, sine alius probationis requisitione, satis aperre docent.* Magna sane hæc est *avdâcia* in propriis agrisque inventis! Auctorem nostrum

frum & ipsius rei naturam ac institutionem, & omnia, saltem potiora, que per eam designantur, penitus ignorasse, abunde constare potest e Dissertatione V. Cui veritati majorem adhuc lucem affundent Dissertationes sequentes. Præcipuum vero ipsius ψῆδδ is est in illa oppositionis fallacia, jam aliquoties commemorata, qua quidem de respectu expurgationis dicit, quod per se verum est, & nemine contradicente facile adstruere potest; sed hoc ipsum scopo sacrificiorum primario, qui fuit *πλασικὸς*, quam indignissime opponit.

5. Speciatim ad veritatem istam a nemine negatam refert verba ista: *sine alius probationis requisitione*. Sed magna omnino, seu operosa ac solida, opus erat probatione sensus exclusivi: ubi vero Auctorem nostrum vel ipso silentio & sophismate causæ suæ ruinam prodere videmus.

6. Nec aliam ipsam viam agnovisse ad vitam æternam, quam eam, quam in sola inberentis damni expurgatione ponit, denuo his comprobat verbis sensus pro ratione contextus exclusivi: *illa realitas in ipso peccatore inveni-ri debebat, qua sine & impurus & impius & inferni civis manebat omnino.*

#### Loci Poiret. membrum IV.

*Et sane generaliter loquendo Judæi omnes, ipsique eorum fidelissimi, in hac ceremoniarum suarum parte tum temporis nihil amplius agnoscebant: & fallitur, quisquis vult, Israelitas eo tempore Christum incarnatum & se ipsum in cruce offerentem in sacrificiis suis considerare debuisse ac vere considerasse.*

*Ipsæ historiæ atque experientia dudum testate sunt, optimis quibusque isthæc fuisse omnino ignota.*

Disquisitio hujus membri.

1. Grandis sane ac decumanus viri alias doctissimi error est in his verbis, quibus præfracte & quam audacissime negat, *Judæos ullos, ipsosque eorum fidelissimos in illa ceremoniarum parte, quæ sacrificiorum oblatione consistit, præter inientiam nostri mortificationem & consecrationem, (quo Auctoris mens tendit) quidquam amplius agnovisse.* Nec ipsi suffecit, crassissimum hunc errare errorem, sed insuper temerario sane nisu insurgit in rectius sentientes: *Fallitur, inquit, quisquis vult Israëlitas eo tempore Christum incarnatum & se ipsum in cruce offerentem, in sacrificiis suis considerare debuisse ac vere considerasse.* Quandoquidem vero absurdo uno admissio sequuntur plura, Auctor in deterius ruens non dubitavit hæc subjungere: *Ipsæ historiæ atque experientia dudum testate sunt optimis quibusque isthæc fuisse omnino ignota.*

2. Meretur hic error peculiarem ἀνορομην & discussionem. Consideremus itaque in eo diversa hæc momenta: *Originem, gravitatem, errantisque ignorantiam & temeritatem.*

3. Origo, seu fundamentum erroris istius ruinosum est in inconsulto & præpostero sanctimonie studio, nec non in præjudicio isto, quod doctrina de Satisfactione Christi sanctimonie obstat, positum. Quo πῶτα ψόδος admissio Auctor coactus est vel ipsum solem in meridie, hoc est, Christum ejusque ἰλασµὸν in sacrificiis, negare. Atque ita grandis hic error apud ipsum est consecutivus, ipso autem



autem malo suo principio deterior ac perniciosior. Jam vero Dissertatione prima, ad cujusvis conscientiae convictionem usque, seu, ut Pireti verbis utar, quantum iis, *quotquot animi candorem non omnino ejurarunt*, ad plenam convictionem sufficit, demonstratum est, doctrinam de satisfactione & justificatione forensi adeo non obstare renovationi, ut ipsam & universum Dei cultum evangelicum potius mirifice promoveat & instauret. Corruit itaque uno cum ruinoso fundamento, quidquid ei superstructum est.

4. *Erroris Piretiani gravitas & evidentia* cognoscitur primum e *typo*, deinde ex ejus *declarationibus prophetiis*, porro ex *antitypo*, nec non ex *objecto fidei, ordine salutis* perpetuo & *exemplis fidelium* u. r. l.

a) *E typo*. Sacrificiorum centrum omnemque nervum fuisse in *Expiatione*, & hanc relatam fuisse ad Messiam ejusque opus *ἱλασινδν*, Dissertatione V. evictum est. Messiae vero, tanquam victimae antitypicae, redemptio piacularis, in ipsius corpore perficienda supposuit ipsam *ἰνσάρκωσιν*, seu humanae naturae assumptionem.

b) *E declarationibus typi prophetiis*. Has passim habemus in *Psalms* & *Prophetis*. Nucleum earum videas Psalm. XXII. & praecipue Jes. LIII. qui locus posterior pluribus ad rem praesentem *ἀποδεικτικῶς* applicatus exhibebitur Dissertat. VII. praecipue Propos. X. Quod vero Deus tam luculenter per Jesaiam scripta voce testificatus est, quis dubitaret, illud ipsum vera fide a credentibus fuisse acceptum, & ut ea acciperetur, etiam antea, jam inde a sacrificiorum institutione, a Deo variis modis per prophetas fuisse patet factum & viva voce declaratum?

c) *Ex*

- c] *Ex ipso antitypo.* Hunc habemus luculentissime in Christo ejusque opere *ἰλασμῶ*, seu redemptione; quemadmodum jam tum Dissertat. V. Propos. XV. & XVI. evictum est, & ex instituto pluribus demonstrabitur Dissertatione VII. & VIII. Jam vero quod in antitypo videmus impletum, in typo adumbratum fuisse, necesse est; alias tolleretur natura, quæ typo cum antitypo intercedit, relativa.
- d] *Ex objecto fidei.* Hoc fuisse promissionem de Messia, docet protevangelium & comprobant oracula patriarchis data & per prophetas edita; nec ipsi *σκληροτέραχλοι* Judæi unquam negarunt. Sacrificia vero nihil erant aliud, quam rei promissæ adumbratio, ideoque fide in Messiam fuerunt offerenda; utpote sine ea Deo nequaquam accepta. Quare objectum fidei fuit nucleus sacrificiorum, & promissioni de Messia, tanquam fidei objecto præcipuo, statim addita fuit sacrificiorum institutio. Id quod demonstratum videas in Historia Ecclesiastica V. T. Periodo I. Membro VII. p. 14. seq.
- e] *Ex ordine salutis perpetuo,* seu eodem in veteri ac novo testamento. Jam vero hic ordo constitutus fuit in Christo, olim promisso & nunc jamdudum exhibito, tanquam victima pro peccatis & peccatoribus omnibus piaculari. Act. XV, 11. Quod autem jam tum apud Judæos & Patriarchas ipsum salutis ordinem constituit, quo modò ab eodem & umbratili ejus oeconomia, quam in cultu Levitico habuit, esse potuit exclusum?
- f] *E fidelium exemplis.* Quis vel minimum dubitaret, pios patriarchas, piosque reges ac prophetas & fideles

les alios pro fidei suæ objecto habuisse Christi *ἰσάγουσιν*, ejusdemque redemptionem, tot modis promissam & adumbratam? Quod si vero fides ipsorum generatim fuit oculata (etsi ad eum distinctioris notitiæ & plerophoriæ gradum, quem œconomia novi testamenti evangelica dedit, ordinarie haud pervenerit) quis credat, eam in materia sua primaria, seu in re sacrificiali, quam pabuli instar habuit quotidiani, fuisse brutam & cœcam? Certe credentem illum & pium *Χριστοφόρον*, Simeonem, Luc. II, 25. seqq. omni tempore multos [etsi respectu majoris impiorum multitudinis paucos] sui habuisse similes, sapienti nemini esse potest dubium.

g] *E modo proponendi & propagandi doctrinam Christianam, inter Judeos præcipue.* Hujus doctrinæ nervum præcipuum esse in dogmate de morte Christi piaculari & antitypica & de ejusdem applicatione, docent Apostolorum epistolæ, hoc respectu considerandæ Dissertatione VII. & VIII. Jam vero hoc ipsum doctrinæ Christianæ caput præcipuum Judæis ita proposuerunt & instillarunt Apostoli, ut ipsos subinde remitterent ad testimonia Scripturarum V. T. *ἰσάγουσιν*, de istarum cum doctrinis suis harmonia certissima, ideoque non solum permittentes, sed etiam exigentes, ut harum veritas ex istarum indicio & judicio exploraretur & comprobaretur. Vide inter alia Act. XIII. XVII, II. 1 Cor. XV, 3, 4. 2. Tim. III, 15. 2 Petr. I, 19. Huc refer illud Lucæ de Christo, & ipsius Christi estatum: *Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt de me in Mose, prophetis & psalmis. Tunc aperuit ipsis mentem ad intelligendas scripturas, & di-*

*xit ad eos: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere e mortuis die tertio &c.* Manifestum itaque est, cum ex allegatione Scripturarum V. T. ἀξιώσιμ, tum e fide tot Judæorum ad Christum converforum, & de ista prophetarum & apostolorum harmonia abunde convictorum, *Christum, præcipue in quantum ut víctima piacularis antypica consideratur, fuisse centrum ac nucleum totius doctrinae sacrificialis.*

5. Quemadmodum e septem hisce argumentis gravissimis, immo argumentorum classibus, Poireriani *erroris gravitas & evidentia* satis superque cognoscuntur; sic ex iisdem non minus etiam judicari potest de Auctoris *ignorantia*. Ista enim omnia, per se jam in tanta luce posita, ignoravit, saltem nullo habuit loco, præjudicio suo tantopere deceptus.

6. Et hanc cœlestis veritatis ignorationem ingentem non minor comitatur *temeritas*, qua non dubitat, erroris coarguere illos, qui statuunt contrarium, seu *Israelitas Christum incarnatum & se ipsum in cruce offerentem considerare debuisse & vere considerasse*. Ubi quando ad historiam & experientiam provocat, non exiguam utriusque ἀγνοίας prodit.

7. Nec Poirerum excusat restrictio, quam ratione *temporis* interferit: siquidem nunquam ullus exstitit temporis articulus, inde ab institutione sacrificiorum, & solenni illorum sanctione sub Mose, quo typi & antitypi ratio non fuerit una eademque. Quare restrictio ista inepta est, confusionis index.

Loci

## Loci Poiret. membrum V.

Equidem non negem sacrificii Jesu Christi representationem seu imaginem in rebus ipsis fuisse comprehensam: At ea illic directo modo atque primario nondum patebat, eratque proinde manifestatio ejus eo tempore potentia tantum, ut loquuntur, post aliquot seculorum lapsum demum futura. Clausus erat typus ille hoc respectu: & relatio ejus tecta adhuc ac muta videbatur; eaque demum patefieri cepit, quando Christus, qui jam inde ab initio ad reparationem hominis procurandam nec propriae vite rationem habere decreverat, paratus se ipsum ubi opus erat ad mortem tradere, hoc propositum peculiariter renovavit, primasque preparationes ad ejusdem executionem veluti e longinquo facere cepit. Ante haec tempora Christus quidem directo & manifeste ante eorum oculos depictus objiciebatur, ut Sanctuarii habitator, itemque ut qui designabatur per Tabulas Legis, per Mannam, per Virgam, per Candelabrum, per Panes Propositionis. Significabatur etiam tanquam Sacerdos, aut Mediator, qui corruptionem mactaret, qui purificaret, qui intercederet, declararet purificationem, aut justificaret, ac populo benediceret. At victimarum propitiacionis significatio directa, prima & aperta eo tempore haec erat, ut peccatorem i-

C 2

psura

ipsum designaret, qui in semet admittere debebat, quicquid per integritatem atque separationem victimæ suæ per ejusdem deductionem ad altare, mortem, sanguinem effusum, consumptionem vi ignis factam, aliæque similia docebatur. Oportebat, inquam, ut peccator victimam offerens, horum omnium realitatem & in se ipso quæreret, ac vere haberet; utque eadem hac ratione cum motibus omnibus naturæ suæ bestialis atque corruptæ, cum affectibus, cum facultatibus malo assuetis, verbo, cum homine veteri ageret. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Psalms. LII, 19. *Et hoc quidem Deus per victimas sacrificiorum designabat, postulabatque: Et quisquis illud negligebat, properabat ad interitum.*

Disquisitio hujus membri.

1. Hic quidem declarare videtur Auctor, cur restrictionem temporis in negatione sua adhibuerit. Sed hæc declaratio a contradictione aliena non est. Etenim ipsi Christus in sacrificiis ante incarnationem fuit representatus & non representatus.
2. Gravis sane, uti e præmissa demonstratione liquet, error est, statuere aliquot temporum periodos, quibus in sacrificiis nihil representatum & a creditibus consideratum fuerit, præter solam nostri ipsorum mortificationem, & huic demum subjungere adumbrationem ipsius Christi, tanquam alio, sed nequaquam demonstrabili, tempore factam.

3. Ne-

3. Neque hic error solus est, sed cum eo conjunctus, quod Auctor, quando tandem tantum non precario typum ipsius Christi in sacrificiis admittit, huic typo, ipsique Christo, antitypo, nequaquam tribuit *piacularē nostrī redētionem*, sed tantum *exemplarem* sui ipsius *mortificationem & consecrationem*, nostræ imitationis causa factam: quemadmodum Dissertatione X. & XI. pluribus videbimus. Et inde liquidissime constabit, phrasēs istas Pireti, *quod Christus ad reparationem humani generis procurandam nec propriæ vitæ rationem habere decreverit, paratus semet ipsum ad mortem tradere*, nequaquam habere sensum evangelicum, sed maxima ex parte Socinianum.

4. Falsissimum est in sensu exclusivo, Christum prioribus temporum V. T. *periodis oculis objectum, ut sanctuarii habitatorem, & designatum fuisse per tabulas legis, per mannam, per candelabrum, per panes propositionis*. Falsissimum, inquam, est, hoc exclusive esse factum. Nec minus falsum est, representationem illam exclusivam, seu a sacrificiis, re cultus Leviticæ primariæ, exclusam, tantum renovationis commendationem pro scopo habuisse; quorsum tendit Piretus, uti jam tum Dissertat. V. Sect. II. ex ipsius verbis percipimus.

5. Quanta porro non est *ερεβλότης*, agnoscere quidem, Christum statim ab initio *significatum fuisse, tanquam sacerdotem & mediatorem*, sed officium ejus sacerdotale & mediatorium tantum referre *ad maculationem corruptionis*? Nervum ejus omnem fuisse in expiatione vicaria, Dissertatione V. evictum est, speciatim Propos. III. & hoc est, quod nova & longa demon-

strationis serie evincetur Dissertatione VII. & VIII. & quod adversus Pireti corruptelas vindicabitur adhuc uberius Dissert. IX. X. & XI.

6. Quæ Auctor addit de *purificatione, intercessione, declaratione purificationis & justificatione ac benedictione*, omnia sunt sensus Sociniani, saltem pseudevangelici, negata notione forensi ad solam renovationem relati, uti constat ex hætenus dictis, & e dicendis, seu Dissertatione X. & XI. uberius constabit.

7. Quæ Auctor de *victimarum propitiationis significatione directa, prima & aperta* addit, jam supra sunt discussa & per integram Dissertationem V. disjecta. Omnia enim refert ad instaurandam sanctimoniam. Ex hac autem significatione *directa, prima & aperta*, potius falsissima, facile liquet, quo loco habenda sit significatio, quam Auctor fingit, *sacrificiorum indirecta, secundaria & obscurior*. Illam enim refert ad *hominem*, hanc ad *Christum*, sed itidem non nisi in sensu renovationis. Quæ sane summa est ac fœdissima sanioris doctrinæ corruptio!

8. Ad locum ex psalmo LI. adductum quod attinet, ille quidem adversus eos, qui in actuum sacrificiorum superficie sine fide cum impietate hærebant, in sensu renovationis recte accipitur; sed eum oppositione ad expiationem & justificationem acceptus, cum tantum de subordinatione valeat, adversus mentem Davidis & Spiritus Sancti pervertitur. Psalmum istum doctrinæ de satisfactione & justificatione forensi nequaquam obstare, sed hanc inde potius confirmari, Paulus docet in epistola ad Romanos c. IV.

Loc



## Loci Poiret. membrum VI.

At Judæi carnales, qui intentionem hanc sequi debuerant, sensim ab ea infeliciter deflexerunt, eamque tandem perpetua oblivione neglexerunt. Ita bestias quidem quam plurimas sacrificandas offerebant; at realitatem eorum, quæ per figuras istas representabantur, & à Lege ostendebantur, in sese implere non studebant. Affectus suos brutos neque frenabant, neque proposito constringebant firmo eisdem perimendi: Immo neque Deum cordis sui orabant, ut ipse divina luminis sui interni potentia eisdem conficeret. Atque adeo peccatum semper in ipsis sic supererat, ut ab eo nunquam purificarentur. Et hæc quidem in consuetudinem perpetuam degenerantia progressu temporis omnes & singulos ita infecerant, ut ceremonie Legis propter hanc negligentiam utilitate omni carere ceperint. Hoc tempore Christus abusu isto conspecto infinita misericordia motus, determinatius decrevit carnem mortalem assumere, & medios inter homines agendo iisdem monstrare, qua ratione realitatem per figuras Legis significatam in se introducere debeant; assumptoque propterea corpore cum vita tali, qualem homines degunt, realitatem figurarum omnium omniumque vitæimarum modo realissimo, plenissimo atque perfectissimo

*Etissimo ita in se implere statuit, ut omnes, quotquot purificare se atque Deo reconciliare vellent, in eo vivum rei exemplum inventuri essent: Adeoque hi jam non amplius ad ceremonias legales, quarum usum legitimum neglexerunt; sed ad Christum deinceps respicere, veterem hominem una cum eo crucifigere, peccato cum eodem mori, ad vitam novam perinde atque ille resurgere debebunt, postquam meriti atque efficaciae mortis ipsius, eidem sese conformando, participes facti erunt.*

#### Disquisitio hujus membri.

1. Verum quidem est, Judæorum plurimos cultu sacrificiali sine ordine poenitentiae & *εαυτοθυσίας* turpissime fuisse abusos, fiducia sua in solo ritu frustra collocata: at falsum est, hanc Judæorum culpam, in re sacrificiali commissam, fuisse solam. Cum isto enim mortificationis & *εαυτοθυσίας* defectu conjuncta erat oblivio Messiae, seu illa *ἀπιστία*, qua praecipuum rei sacrificialis nucleum, Christum, praecipue ejus expiationem typicam & antitypicam amittebant, & tandem plane explodebant, priorum meritorum fiducia intumescens.

2. Quemadmodum Poirerius officium Christi *ἱλαστικόν* in re sacrificiali plane non agnoscit, sed abnegat, & hoc respectu sub ipsius evangelii oeconomia longe minus cognitionis evangelicae habuit, quam olim fideles Judæi sub oeconomia legis: ita etiam universum mysterium & opus salutiferæ *ἰσαρκώσεως* quam indignis

dignissime pervertit, &, quantum in se est, obscurat & penitus enervat, nervo & nucleo evangelii precipuo inde penitus sublato. Admirandum enini salutis restituendæ negotium totum, quantum est, cum Socinianis refert ad Christi *exemplum*, ut homines ad Christi exemplum veterem hominem in se crucifigere discant, cum hoc officium sub oeconomia legis neglexerint, per rei sacrificialis ceremonias de eodem frustra & sine effectu moniti.

3. Et *novum* hoc ac Socinianum *Evangelium novum* novæ & alius hypotheseos *venenum* habet admixtum. Ut enim Auctor noster posset elidere illa Scripturæ oracula clarissima, quibus Christus peccatum factus & peccata hominum portasse dicitur, & eo majori cum specie omnem evangelii nervum referre ad imitationem exempli Christi, non erubuit Christo etiam *inherens* tribuere *peccatum* & peccati tentationes, & dicere, Christum tentationes istas ideo intra se superasse, ut nobis victoriæ de iisdem recuperandæ exemplum præberet. Quod doctrinæ *βδελουγία* Dissertatio IX. aut X. discussum exhibebit.

4. Ultimis allegati loci verbis Auctor quidem mentionem facit meriti & efficacæ mortis Christi; at sensu a doctrina apostolica alienissimo: quemadmodum Dissert. X. & XI. pluribus demonstrabitur.

### Loci Poiret. membrum VII.

*Ex hoc tempore (hoc est a tempore Davidis ac Salomonis, quo figuræ Legis quodammodo renovatæ atque conduplicatæ fuerunt,) postquam Jesus Chri-*

D *stus*

sus adventum suum in carnem mortalem præmedi-  
 tari cepit, ea, quæ in sacrificiis usque adhuc occulta  
 fuerant, & Christum representabant, palam fieri ce-  
 perunt: indeque figura sacrificiorum considerari de-  
 bebant, ut peculiariter ad ipsum respicientes, neque  
 id modo indirecto ac secundario, uti antea; sed tan-  
 quam ad subjectum proprium, in quo adeo vere, ple-  
 ne perfecteque impleri debebant, ut omnes quotquot  
 ad realitatem figurarum legalium deinceps adspira-  
 turi erant, eam realitatem non in figuris ipsis earum-  
 que observatione judaica, sed in viva conformitate  
 atque participatione cum Christo viventes & mori-  
 entes invenire possent deberentque; quandoquidem  
 in ipso vere omnia omnino inveniuntur, in ipso in-  
 quam inveniuntur Deus, Liberator, Mediator, In-  
 tercessor, Doctor, Purificator, Sacrificium, exem-  
 plum vivum ac reale destructionis hominis veteris,  
 vires quibus una cum ipso moriamur, meritum, pro-  
 pter quod vires istas impetremus, resurrectio, vitæ  
 que luminosæ, gratiæ atque salutis per Spiritum ejus  
 divinum, optimum & maximum, renovatio: ver-  
 bo, CHRISTUS CRUCIFIXUS est omnia. Hinc  
 Apostolus dicebat: Proposui nihil inter vos scire, ni-  
 si Christum, eumque crucifixum.

Disquisitio hujus membri.

1. Falsum est, Christum inde a tempore Davidis adven-

adventum suum in carnem præmeditari cœpisse. Hæc præmeditatio, si ita est dicenda, cœpit statim post lapsum una cum ipso protevangelio.

2. Falsum est, inde a tempore Davidis Christi figuras palam fieri cœpisse. Nec enim antea adeo fuerunt occultatæ, ut Christum plane non, sed tantum homines, aut Christum minus & secundario, repræsentaverint; uti Poiretus existimat.

3. Falsum est, fideles hoc demum tempore realitatem figurarum in Christo quæsisisse.

4. Falsum est, quæsitam in Christo realitatem constituisse in viva conformitate & participatione cum Christo, quæ, negata ejus expiatione & justificatione nostri forensi, in sola renovatione, quo sua omnia refert Auctor, fuerit posita. Dicuntur hæc omnia, non vero probantur, ideoque eadem facilitate negantur, qua adserta sunt. Quibus *veo Povlans* supra Dissert. V. integra demonstrationis series opposita est, & Dissertatione VII. & VIII. nova opponetur.

5. Non res, sed verba sunt apud Poiretum, quod in Christo omnino omnia inveniantur, Deus, liberator, mediator intercessor, doctor, purificator, sacrificium, exemplum vivum & reale destructionis veteris hominis, meritum, resurrectio, nec non vitæ, gratiæ ac salutis renovatio. Verba, inquam, hæc sunt, non res. Etsi enim Christo adscribit divinitatem, & hac in parte a Socinianis se distingvit, eique tribuit munus doctoris, purificationem, exemplumque vivum *κ. τ. λ.* neutiquam tamen hæc intelligit sensu evangelico, seu apostolico; liberationem vero, seu mediationem & intercessionem piacularem, in quantum ea redemptionis forensis synonyma sunt,

Christo, quantum in ipso est, plane demit, inter alia etiam *meriti* voce in pseudevangelicum sensum detorta.

6. Quæ cum ita sint, manifestum est, Apostolica verba, *Christum crucifixum esse omnia*, una cum reliquis sensu nequaquam apostolico fuisse posita.

### Loci Poiret. membrum VIII.

*Ex his videmus sacrificia legis cessare debuisse, ex quo Christus eorum realitatem in se presentem atque impletam exhibuisset. Si quis, ut hominem ignotum cognoscere discam, ejusdem mihi descriptionem tradat aut effigiem exhibeat, non parum utique ad rem juvabit: verum ex quo homo ipse mihi presens aderit, non opus erit ex effigie inspecta ejusdem notitiam querere. Veri sacrificii realitas oportet ut in nobis inveniatur. Etenim veteris nostri hominis, tenebrarum, vitiorum, omniumque motuum nature nostræ corruptæ interitus intus in nobis vere adesse debet. Hæc ipsa realitas mihi per figuram, per bestias quæ occidunt, perque alia similia significata ostenditur. Id vero adminiculum non omnino nullum est. Attamen realitas illa ibidem non nisi in figura imperfecta ac bruta videnda proponitur. Christus autem adveniens, eandem realitatem nobis in se exhibet, eamque vivam, realem, perfectam, omni bono ac omnis boni fonti junctam, tum ipse nos invitat,*

*ut*

ut per vim fidei nosmet ei conformando, ejusdem participes esse velimus. Manifestum est nostri officii nunc esse, hanc realitatem impofterum indidem petere per vim fidei, per quam Christus (Verbum Divinum eam in nobis producere annitens,) nos impellit, ut ad sui conformitatem adspirantes, realitatem omnem, quæ in ipso invenitur, veluti in Capite, unde in membra singula vigor suus influit, ex ipso intra nos inherenter admittamus. Superest igitur, ut ad Solam Archetypi hujus imitationem animum cum Paulo adjiciamus, ac veterem nostrum hominem una cum ipso cruci affigamus, ut figura missa, realitatem ipsam assumentes per eam in vita primitiva luminis atque amoris Dei reviviscamus.

#### Disquisitio hujus membri.

1. Nihil hic dicit Auctor, quod non jam tum antea aliquoties dixerit, scilicet apud Christum & Christianos in figurarum sacrificialium impletionem omnia redire ad Christi exemplum & ejus imitationem. Id quod in sensu exclusivo, seu expiationem & justificationem forensam excludente, qui ipsam quoque exempli propositionem & imitationem corrumpit, revera est novum quoddam evangelium, ipsi Christo & Apostolis adversum, ideoque in ecclesia Christiana nequaquam audiendum & admittendum.

2. Sensus hujus loci pseudevangelicus, præter nolum totius sermonis, præcipue cognoscitur e verbis ipsius posterioribus: Super est igitur, ut ad SOLAM archetypi

*cherypi hujus IMITATIONEM animum adjiciamus x. τ. λ.*  
 Sic caro, seu corrupta ratio, ac prava hominis voluntas ruit in contraria. Epicurei gregis homines nil nisi meram & solam expiationem & justificationem crepant, repudiata imitatione; sed operarii, negata satisfactione & justificatione, tanquam re supervacua, nil nisi *solam imitationem admittunt.*

### Loci Poiret. membrum IX.

*Cujus quidem praxeos exemplum in se præbuit Paulus, quando dicit. Vivo quidem; at non amplius ego; sed CHRISTUS in me vivit: quod autem in carne vivo, vivo in fide [aut per Fidem] Filii Dei, qui me dilexit, ac semetipsum pro me tradidit. Gal. II, 20. Et profecto, quisquis ab hoc statu deflectens, aut recedens, ad figuras redire mallet, quasi ea, quæ Deus a nobis postulat, in earum observatione consistere, is umbras consecutus a realitate gratiæ Dei retrocederet excideretque. Gal. V, 4. Id Paulus docet in epistolis, quas ad Galatas Hebræosque dedit, idemque pariter ad Romanos scribens ostendit, neminem per prærogativas illas omnes vocationis externæ, in quibus Judæi carnaliter gloriabantur, puta per Apparitiones, Revelationes, Instituta, ipsaque etiam promissa Dei, in statum gratiæ, hoc est, ad puritatem, lumen atque amorem redire posse, nisi isthæc non amplius more Judaico, sed per fidem admitteret: quæ fides eos ad realitatem ipsam, quæ in  
 Chri-*



*Christo Jesu est, indeque ad fideles descendit, red-  
xisset.*

### Disquisitio hujus membri.

1. Paulus quidem non displicet Poireto, sed di-  
mediatus tantum, hoc est, in quantum is urget do-  
ctrinam de *renovatione*; in quantum vero Paulus Chri-  
sti *satisfactionem* nostrique *justificationem forensam* præ-  
dicat, de eo silet ille. Apostolus in eadem epistola  
ad Galatas, ubi: *Christus, inquit, in me vivit u. r. l.* etiam  
hoc habet: *Christus nos redemit ab execratione legis &c.*  
c. III, 13. Item *Christus legi subditos redemit* c. IV, 5. Por-  
ro: *Justificamur fide* c. II, 16. &c. Sed hæc prætermittit  
Poiretus, aut quando talia oracula interdum obiter at-  
tingit, ea enervat & pervertit. Immo in ipso loco,  
quem pro sententia sua allegavit, habet Paulum sibi  
plane contrarium, scilicet in iis verbis: *qui semet ipsum  
pro me tradidit.* Quæ quam sinistre intelligat, jam a-  
bunde liquet.

2. Qui a Christi officio hilastico & justificatione  
forensi, quæ inde oritur, desectit & omnia ad fan-  
ctimoniam refert, is non solum præposterum tradit fan-  
ctimoniam studium, sed a veritate evangelica etiam non  
minus recedit, quam Judæi *υόφοροι*, qui ab Evangelio  
ad egenas figuras umbrasque revertebantur. Utrum-  
que constat ex epistolis Pauli, præcipue iis ad Galatas,  
Romanos, Hebræos.

Not. Hæc hætenus de corruptelis doctrinæ de sa-  
crificiis, quæ Cl. POIRETUS habet in *Oecon.* L. III. cap.  
XVI. sub ejus finem. Sequitur caput XVII. cujus hæc  
est inscriptio: *Theoria sacrificiorum tum aliorum, tum Je-  
su Christi.* &c. Constitueram primum, Disquisitionem  
hujus

hujus capituli subjungere doctrinæ de *Satisfactione* Christi, & referre ad Dissertationem IX. aut X, huic vero præsentî Dissertationi paulo plura subjicere de erroribus *Socinianorum* in hac de sacrificiis doctrina: sed deprehendo demum Lib. IV. cap. III. magis ex instituto ab ipso agi de *perpeffionibus Jesu Christi ejusdemque sacrificio & satisfactione*, uti habet istius capituli inscriptio: hujus autem Libri III. c. XVII. hanc materiam ita adhuc tractari, ut ad typos magna ex parte referatur. Quare, ne deinceps materiaram considerandaram mole obruar, meum erit, etiam aliqua hic capituli XVII. in quantum illud huc pertinet, discussione defungi. Hæc vero eo erit brevior, quo facilius Auctoris nostri aberrationes novæ, aut repetitæ, ex hætenus dictis dijudicari possunt.

DISCUSSIO CAP. XVII. L. III. OECON. POIRET.  
*de Theoria sacrificiorum tum aliorum, tum Jesu Christi. p. 316. seqq.*

1. Auctor hic rursus totus magnoque conatu est in eo, ut totam rem sacrificalem referat ad interiorem sanctimoniam, quæ in mortificatione & vivificatione, nec non in nostri ipsorum consecratione, consistit. Quod si hoc ipsum urgeret, partim tanquam fructum applicatæ expiationis & justificationis, hæc & illa evangelicæ commendata; salva res esset. Verum semper hæret in sensu suo privato & exclusivo, hæc ratione re vera novum quoddam evangelium effingens.

2. Pro hæc sua hypothese suoque scopo Auctor n. 5. *Vides, inquit, quæ propria sit ratio sacrificii, & quæ ejus natura, videlicet ut malum destruat in subjecto, in quo bonum solum & purum sapere debet.*

3. Post-

3. Postquam hæc declaravit, num. 7. inter alia hæc habet: *Ictus sacrificus est ingens ille ictus amoris & gratiæ. Cui effato hoc subjungit epiphonema: Pro quantæ sunt hominum tenebræ! suas ipsius tenebras non agnoscens. His enim nisi obtectus plane fuisset, agnovisset in ictu sacrificali ictum justitiæ Dei vindicis, sed gratia temperatæ.*

4. Quanta vero non est fallacia oppositionis in rebus subordinatis, nempe in expiatione vicaria & in nostri ipsorum consecratione: quando Auctor n. 8. ita pergit: *Homines singuli, quotquot ad perfectionem aut salutem provehi volunt, necessario a Verbo Divino (qua locutione hic Christum intelligit) sacrificari debent. Nulla hic substitutio, nulla imputatio queri potest, nisi ab iis, qui similiter per substitutionem salvari, at re ipsa atque inherentes damnari volunt. Sic sophismati jungit scomma, viro docto & pio indignissimum.*

5. Postquam sacrificium, quod vocat, Christi internum, in sanctificatione unice positum, pluribus pro hypothese descripsit, num. 11. hæc tradit: *Sacrificium internum Filii Dei in homine adjuvari potest per media externa, quæ motus tenebrarum, quibus distrahimur, coerceant; præferim si eadem media illas res, quas Verbum Dei in nobis sacrificabit, rudi adumbratione representent. Hæc sacrificiorum ceremonialium est origo, eademque eorum significatio directa ac primitivæ. Et hæc quidem sunt sacrificia Mosaica. Grandis sane error est, cum non minori historię sacræ ignorantia in viro alias doctissimo conjunctus, quod sacrificiorum originem eorumque significationem directam & primitivam tantum refert ad adumbrationem consecrationis spiritualis, qualem re-*

E

nova-

novationis studium requirit. Contrarium evictum est Dissert. V. Auctor vero noster pro more suo, suaque auctoritate falso credita, tantum dicit, quid sentiat, idque vel centies repetit; sed ne semel quidem ullo argumento probat. Et hoc tamen ineptissimo scribendi genere mathematicæ evidentæ speciem præ fert & affectat.

6. Num. 13. prolixum habet sermonem, cujus hæc est summa: Christum in semet ipso peccatum ita sensit, ut ab eo variis modis fuerit tentatus, sed ipsum illud superasse, exemplo imitatione digno nobis relicto. Cujus hypotheseos membrum primum non gravem minus, quam sædum, continet errorem. Et quis non cohorrescat, quando ipsam cruenti sudoris luctam, a Christo in oliveto superatam, refert ad pugnam adversus inhærens & sollicitans peccatum, ita pergens: *Videmus eum hæc omnia (quæ in terris sunt) longissime rejecisse, inclinationibus, quibus naturam suam infirmam eo abripi sentiebat, restituisse; contraria autem elegisse; contra voluntatem carnis ita fortiter pugnavisse, ut sanguinem pariter ac aquam sudaverit, ac immanissimis quibusque incommoditatibus, quas caro abhorret, immo ipsi morti carnis sese exposuerit: videlicet ut nos eadem similiter in nos transferremus &c.*

7. Et huic doctrinæ *Ἰδιότυτοι*, phrazeologia biblica exornato, non veretur subjungere hoc effatum: *Et hæc est ipsissima Evangelii essentia: blandiantur sibi ac se ipsos fallant, quotquot volent. Id certum est, solos, quos dixi, puros esse atque justificatos. Idemque pariter expressa Scripturæ verba & tota ejusdem substantia manifesto docent. Hoc non est ipsissima evangelii essentia, sed est cœ-*  
dissi-

dissima evangelii corruptio, & foetus agræ imaginatio-  
nis, & Burignonianæ & Poiretianæ, quo Auctor noster  
non minus semet ipsum fecellit ipse, quam sibi blan-  
ditus est. *Id certum est*, hic interferit. Sed unde? Ubi  
vel unicum alicujus argumenti vestigium? Ubinam  
sunt expressa scripturæ verba? Cujus substantiam, seu  
centrum, quod pariter cum peripheria sua evangelica  
ignoraverit ipse Auctor, quis post tot hujus *ἀγνωσίας*  
documenta edita non agnoscit? Nec ipsum hic tue-  
tur sophisma, quo ad illa Scripturæ loca respicit, qui-  
bus nobis Christi imitatio commendatur. Hæc enim,  
ut identidem monui, doctrinæ de expiatione & justi-  
ficatione forensi non opposita, sed subordinata sunt.  
Sed plura de hoc errore circa perpeffiones Christi in  
Discussionem c. III. Lib. IV.

8. Istum vero errorem de *ἐαυτοδωσία*, solitarie & ex-  
clusive accepta, num. 14. ita incrustat: *Necessitas sacrifici-  
cii Christi non a Deo derivanda est, nec ab ipso Christo; sed  
a solo homine, quatenus ille per medium aliquod potentissi-  
mum efficacissimumque ad sui ipsius sacrificacionem inducen-  
dus est. Sacrificare est facta mali destructione bonum a  
malo separare.* Hac ratione non solum negatur ac  
corrumpitur universa sacrificiorum forma ac constitu-  
tio, sed negatur etiam Dei justitia vindex, nec non e-  
jusdem *Φιλανθρωπία*, Christi merito nixa.

9. Mirum vero est, quantopere sibi Auctor noster  
placeat, partim in calumnia sua, qua illis, qui sacrifici-  
ciis virtutem piacularem tribuunt, virtutis sanctifican-  
tis abnegationem adscribit; partim in suo antitheseos  
sophismate, quo doctrinam de expiatione doctrinæ  
de sanctimonia, tanquam maxime repugnantem, op-  
ponit.

ponit. Ita enim n. 14. inter alia pergit: *Nunc querere velim, utrum malum, quod in homine est, saltem per substitutionem quandam, aut imputationem, non per realitatem inherens, inherens atque individualem separari atque aboleri debeat? Quod qui affirmant, utique rem absurdam, impossibilem & contradictoriam affirmat. x. τ. λ.* Certe hoc non est scriptorem agere mysticum, sed sophistam & Andabaram, qui cum larvis pugnat, non cum veris personis, seu earum sententiis.

10. *In confesso est, ait Poir. inter alia num. 15. sacrificium Christi vere ejusdem esse naturæ, cujus est illud, quod peccator offerre debet.* Quanta non est hæc doctrinæ evangelicæ corruptio? Recolat hic lector tacita meditatione sententiæ contrariæ demonstrationem, Dissert. V. datam.

11. Inanis sane Auctoris nostri est loquacitas, inanis tautologia, per universum caput diffusa. Et hæc num. 16. *abominationem desolationis* vocat illam sacrificii Christi applicationem, quæ imitationem ejusdem respuit. Non immerito quidem talia dicerentur in homines Epicureos. Sed quid cum isto abusu commercii est doctrinæ evangelicæ? Certe hujus nucleum, in expiatione & satisfactione forensi positum, plane negare, & tot indignis modis explodere, major adhuc, certe non minor, est *desolationis abominatio*, est *ὀδύνη* omnino abominabile, quod evangelii interiora devastat.

12. Et hunc ipsum errorem etiam his inter alia repetit verbis: *Sacrificium Christi per SOLAM imitationem participationemque, quam fides in nobis operatur, nostrum fit.* Fidei quidem mentionem hic facit Auctor, sed sensu

sensu haud alio, quam exclusivo, satisfactionem & justificationem excludente, fide operaria commendata.

13. *Rationes*, inter alia ait num. 17. *tam abunde suppetunt, ut non immerito dicam: me copia facit inopem. Et enim similis mihi videor illi, qui probare vellet, in ipso meridie adesse diem.* Quod si quæras, quænam fit res probanda, in qua tanta Auctori nostro est copia? respondeo, esse eam, quam nemo negat, scilicet christianos vocatos esse ad *invidiam* atque ad crucem. Nemine contradicente facillimam hic habet pugnam Poiretus. At vero dum solem negat in ipso meridie, h. e. virtutem sacrificiorum piacularem, ipsamque Christi expiationem in evangelio, nullo utitur argumento, quia nullum habet, sed errores suos, tanquam totidem oracula omni dubitatione majora, fundit.

14. Numero quidem 18. non nulla interferit, quæ imperitis videri possent commendare virtutem sacrificii Christi piacularem. Tribuit enim Christi *intercessionem, satisfactionem & meritum.* Sed nuda verba sunt, quibus glaucomata objicit incautis. Qui fucus quam indignus sit, & quantopere sub ipsis evangelicis verbis ab evangelio abhorreat, infra in discussione cap. III. Lib. IV. una atque altera peculiari Dissertatione demonstrabitur.

15. Et in hoc ipso fuce faciendo etiam num. 19. admodum operosa est Poireti facundia. Inter alia hanc ipse necit & explodit illationum seriem: *Quoniam homo mereri nequit, hinc nec sacrificio, quod Deus ab eodem exigit, satisfacere potest. Ergo sacrificium Christi est sacrificium substitutorium ac exemptorium.* Ergo si sacrifici-

um Christi nobis imirabile esset, oporteret vel ut sacrificium nostrum meritorium existeret, quale est sacrificium Christi, vel ut sacrificium Christi meritorium non esset, perinde ac nostrum meritorium non est. Jam his illationibus denique hanc debebat subjungere. Ergo communicatio, qua nos sacrificii Christi participes reddimur, est firma quædam & divina persuasio, qua illud nobis imputari credimus, & quidem in ordine iustitias, ita ut nullam e pravis nostris inclinationibus non mortificemus. Sed quia sententiæ ecclesiæ evangelicæ sic propositæ obloqui verebatur, utpote ne ullam quidem argumenti, quod eidem opponere posset, speciem habens; pro illatione ista genuina satis inique superioribus conclusis hanc subnectit: Ergo communicatio, qua nos sacrificii Christi participes reddimur, est firma quædam persuasio, qua illud nobis imputari credimus, LICET NOS NULLAM EX PRAVIS NOSTRIS INCLINATIONIBUS MORTIFICAVERIMUS n. r. λ.

16. Dolo autem jungit errorem de differentia meriti & sacrificii Christi, quando ita pergit: *Vides hic, quomodo infelix caro ratiocinari, docere atq; agere voluerit, obtinens se mereri non posse, quippe quod sacrificio proprie competat. At nisi homo carni atq; infelicissimis præjudiciis favens se ipsum excæcare mallet, facile intelligeret, aliud esse mereri, aliud sacrificare, licet hæc duo in Christo unita inveniantur. Tò mereri præcedit sacrificium & a sacrificio nequaquam pendet &c.* Verum enim vero nisi Poiricus corruptæ Burignonæ suæ phantasie sese mancipasset totum, & in tot gravissimi momenti doctrinis excæcandum permisisset, non pronuntiasset magistræ suæ sententiam, tanquam ex tripode, sed didicisset, sacrificiis ratione typica insitam fuisse vim meritoriam, nec sine Christi sacrificio, per æternam sponsonem promisso & in tempore tandem oblato, ullum ejus meritum dari. Contrarium Auctor non probat, sed dicit tantum, eandem, quam magistræ suæ exhibuit, obedientiam etiam a lectoribus suis sibi promittens, h. e. cœcam. Et ad meritum Christi Poiricianum quod attinet, illud nihil esse, nisi ens rationis Burignonianæ, vel inde intelligas, quod illud a sacrificio plane divellit, & quod negat, & pernegat, uti Dissertatione II. vidimus, in Deo esse justificationem



fitiam peccatorum vindicem, quæ satisfactionem forensam, unde meritum proprie sic dictum existit, requirat.

Not. Hæc hæctenus de infamata Pireti antithesi. Quæ cum justam Dissertationis Academicæ mensuram jam omnino compleant, de corruptelis doctrinæ evangelicæ Socinianis pauca, quæ sequuntur, nunc sufficiant.

## EPIMETRUM ANTISOCINIANUM.

Socinus Prælect. Theol. c. XXII.

*Cum constituisset Deus, ut populus Israeliticus liberalitatem suam non ante experiretur, quam sacrificia quædam sibi obtulisset, merito illis sacrificiis offerendis, populus ille peccata illa sua expiare dici poterat, quamvis nulla prorsus ratione pro peccatis suis satisfaceret. Atque hac eadem de causa ipsis sacrificiis, quod peccata expiant, sine ulla satisfaciendi significatione tribui potest.*

Idem c. VII.

*Cum igitur certum sit, antiquum illum Pontificem non ea ratione populi peccata expiassè, quod pro illis satisfaceret, sed quod ea faceret, quibus peractis ex divina benignitate expiatio ante promissa consequeretur, vel etiam quod expiationem prædicto modo consecutam esse declararet & pronuntiaret; certum quoque esse debet, Christum non idcirco peccata nostra expiassè, quod pro illis divinæ justitiæ satisfecerit, sed quod ea effecerit, quibus peractis peccatorum nostrorum expiatio antea nobis divina benignitate promissa, consecuta re ipsa fuerit, vel etiam quod nos eadem benignitate divina jam expiatis pronuntiaverit & declaraverit.*

Observationes in hæc loca.

1. Negant Sociniani, sacrificia habuisse virtutem typicam peccata in notione satisfactionis expiandi; & e contrario statuunt, tribui sacrificiis expiationem respectu istius obedientiæ, quam offerentes præcepto de offerendis victimis præstent.
2. Atque ita Sociniani etiam negant, Christi sacrificium habuisse vim peccata expiandi antitypicam in notione satisfactionis, justitiæ Dei

vindicæ

46 DISCUSSIO UBERIOR ANTITHESEOS POIRET.

vindici dandæ; e contrario expiationem Christi verbotenus concessam ponunt partim in obedientia aliqua non piaculari, partim in declaratione expiationis, quæ a Dei benignitate, sine satisfactione jam per se ad gratiam prona, dependeat.

3. Quam vero falsa sit utraque sententia, abunde liquet cum e Dissertatione II. III. & IV. de *justitia Dei vindice*, nec non de *peccati reatu & imputatione*, tum e Dissertatione V. de *virtute sacrificiorum piaculari*. Uberiorem demonstrationem respectu antitypi Dissertationes VII. & VIII. dabunt.

4. Plura de Socinianorum erroribus circa doctrinam de expiatione typica & antitypica inter alios exhibet B. W. FRANZIUS in libro egregio, *Schola sacrificiorum*, præcipue Dissertationibus posterioribus.

5. Poiretus facile prævidit, sibi erroris Sociniani participationem objectum iri, ideoque exprobrationi isti c. I. n. 20. ita occurrit, uti alias solet aliis ejusmodi objectionibus non injullis obviam ire, h. e. scommate, eos *malignos & stupidos* jam in antecessum vocans, qui doctrinam suam Socinianismi ream sint facturi.

6. Id quidem verum est, Poireti doctrinam de sacrificiis & eam, quæ de hominis statu corrupto ejusdemque restitutione agit, in eo a Socinianorum doctrinâ differre, quod, cum Sociniani corruptionem, & hinc etiam gratiam, extenuent, & tantum in superficiè christianismi hæreant, Poiretus corruptionis, in quantum illa in hærens damnum habet, gravitatem agnoscat, & in restitutione humani generis interiora unice urgeat, ideoque in sacrificiis etiam omnia referat ad interiorem nostri mortificationem & *hautoθυσίαν*.

7. Verum enim vero non minus etiam, immo multo magis, verum est, Poiretum in eo, quod doctrinæ de sacrificiis animam quasi omnemque nervum & nucleum constituit, plane consentire cum Socinianis, h. e. ipsum non minus ac Socinianos *expiationem forensam*, tanquam justitiæ Dei vindici factam, plane negare. Quod erroris paralleli centrum apud eundem multis modis etiam in Sociniani systematis peripheriam sese diffundit. Immo tantum abest, ut Poiretus in doctrina de sacrificiis Socinianis sit purior, ut potius sordes & corruptelas ipsorum adoptatas multa novarum & noxiarum opinionum accessione adauxerit. Sed de his in progressu Dissertationum plura,

JJ 5225

ULB Halle

3

002 698 757




st

Ms 18

Ms 1





Q. D. B. V.

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM

S E X T A

DE

INDOLE AC VIRTUTE  
SACRIFICIORUM  
PIACULARI:

QVA

CTRINA EVANGELICA DE EXPIATIONE ET  
SATISFACTIONE CHRISTI TYPICA  
ADVERSUS STROPHAS ET CORRUPTELAS  
CL. PETRI POIRETI ET SOCINIANORUM  
UBERIUS VINDICATUR.

IN REGIA FRIDERICIANA

die Septembris hujus MDCCXIX. anni

PRAESIDE

DACHIMO LANGIO,  
SS. THEOL. D. ET PROF. ORDIN.

Publica argumentorum oppositorum  
solutione defensa

A

AURITIO ERDMANNO *Sach!*  
Martisburgenfi, S. S. Theol. Cult.

HALAE SAXONUM,

Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.

